

interfici, neque e sui Regni finibus pelli: quod certe fecisset, nisi eorum dignitate ab inferenda iniuria fuisset deterritus: Magos autem non nisi sua dignitate fretos cum Herode ausos esse adeo libere colloqui. Nam quod eos Bethlehemo abissis Herodes tam soro resciverit, id quidem eandem habet difficultatem, sive Magi fuerint Reges, sive non fuerint; nec ad hanc quaestionem propterea pertinet, nec alio referendum est quam ad Herodem ipsum, cuius intererat omni studio et diligentia de nunciato sibi novi Regis ortu certioram fieri velle: quemadmodum autem Dei nutu factum est, ut Magi per aliam viam in suam ipsorum patriam Herode inscio renigraverint, ita supremae eiusdem voluntati visum est, ut Herodes multo serius, quam par erat, ad eorum projectionem adverteret animum.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.
IOANN. II, 1-11.

- In illo tempore: Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae: et erat mater Iesu ibi.
1. Vocatus est autem et Iesus, et discipuli eius, ad nuptias.
2. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent.
3. Et dicit ei Iesus: Quid mihi, et tibi est mulier? nondum venit hora mea.
4. Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis facite.
5. Erant autem ibi lapideae hydrae sex positae secundum purificationem Iudaeorum, capientes singulae metretas binas vel ternas.
6. Dicit eis Iesus: Implete hydras aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.
7. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, et ferte architrachino. Et tulerunt.
8. Ut autem gustavit architrachinus aquam vinum sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architrachinus.
9. Et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: et cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.
10. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae: et manifestavit gloriam suam, et crederunt in eum discipuli eius.

Homilia S. Augustini Episcopi.
IN IOANN. EVANG. TRACT. 9.

734 **A**DSIT Dominus Deus noster, ut donet nobis reddere quod promissimus. Hesterno enim die, si meministis Sanctitas vestra, cum temporis excluderemur angustia, ne ser-

monem inchoatum implemimus, in hodiernum distulimus, ut ea quae in hoc facto evangelicae lectionis mystice in sacramentis posita essent, ipso adiuvante aperirentur. Non itaque opus est iam immorari diutius in commendando Dei miraculo. Ipse est enim Deus qui per universam creaturam quotidiana miracula facit, quae hominibus non facilitate, sed assiduitate viluerunt: rara autem quae facta sunt ab eodem Domino, id est a Verbo propter nos incarnato, maiorem stuporem hominibus attulerunt: non quia maiora erant, quam sunt ea quae quotidie in creatura facit, sed quia ista quae quotidie fiunt, tamquam naturali cursu peraguntur; illa vero efficacia potentiae tamquam praesentis exhibita videntur oculis hominum. Diximus, sicut meministis, resurrexit unus mortuus, obstupuerunt homines; cum quotidie nasci qui non erant, nemo miretur. Sic aquam in vinum conversam quis non miretur, cum hoc annis omnibus Deus in vitibus faciat? Sed quia omnia quae fecit Dominus Iesus, non solum valent ad excitanda corda nostra miraculis, sed etiam ad aedificanda in doctrina fidei; scrutari nos oportet quid sibi velint illa omnia, id est, quid significant. Horum enim omnium significationes, sicut recordamini, in hodiernum distulimus.

Quod Dominus invitatus venit ad nuptias, etiam excepta mystica significatione, confirmare voluit quod ipse fecit nuptias. Futuri enim erant, de quibus dixit Apostolus, prohibentes nubere (I TIM. IV, 3), et dicentes quod malum essent nuptiae, et quod diabolus eas fecisset: cum idem Dominus dicat in Evangelio, interrogatus utrum liceat homini dimittere uxorem suam ex qualibet causa, non licere excepta causa fornicationis. In qua responsione,

si meministis, hoc ait: *Quod Deus coniunxit, homo non separet* (MATTH. XIX, 3-6). Et qui bene eruditi sunt in fide catholica, noverunt quod Deus fecerit nuptias, et sicut coniunctio a Deo, ita divortium a diabolo sit. Sed propterea in causa fornicationis licet uxorem dimittere, quia ipsa esse uxor prior noluit, quae fidem coniugalem marito non servavit. Nec illae quae virginitatem Deo vovent, quamquam amplioem gradum honoris et sanctitatis in Ecclesia teneant, sine nuptiis sunt: nam et ipsae pertinent ad nuptias cum tota Ecclesia, in quibus nuptiis sponsus est Christus. Ac per hoc ergo Dominus invitatus venit ad nuptias, ut coniugalis castitas firmaretur, et ostenderetur sacramentum nuptiarum: quia et illarum nuptiarum sponsus personam Domini figurabat, cui dictum est: *Servasti vinum bonum usque adhuc*. Bonum enim vinum Christus servavit usque adhuc, id est, Evangelium suum.

735 Iam enim incipiamus ipsa sacramentorum opera detegere, quantum ille donat in cuius nomine vobis promissimus. Erat prophetia antiquis temporibus, et a prophetiae dispensatione nulla tempora cessaverunt: sed illa prophetia, quando in illa Christus non intelligebatur, aqua erat. In aqua enim vinum quodammodo latet. Dicit Apostolus quid intelligamus in ista aqua: "Usque ad hodiernum, inquit, diem, quamdiu legitur Moyses, id ipsum velamen super eorum positum est; quod non revelatur, quia in Christo evacuatur. Et cum transieris, inquit, ad Dominum, auferetur velamen" (II COR. III, 14-16). Velamen dicit adoperationem prophetiae, ut non intelligeretur. Tollitur velamen, cum transieris ad Dominum: sic tollitur insipientia, cum transieris ad Dominum, et quod aqua erat, vinum tibi

fit. Lege libros omnes propheticos, non intellecto Christo, quid tam insipidum et fatuum invenies? Intellige ibi Christum, non solum sapit quod legis, sed etiam inebriat; mutans mentem a corpore, ut praeterita obliviscens, in ea quae ante sunt extendaris (PHILIPP. III, 13).

Ergo prophetia ab antiquis temporibus, ex quo prorsus currit ordo nascentium in genere humano, de Christo non tacuit: sed occultum ibi erat; adhuc enim erat aqua. Unde probamus quod omnibus temporibus superioribus usque ad aetatem qua Dominus venit, prophetia de illo non defuit? Ipso Domino dicente. Cum enim resurrexisset a mortuis, invenit discipulos dubitantes de ipso quem secuti erant. Viderunt enim eum mortuum, et non speraverunt resurrecturum, et tota spes eorum condidit. Unde ille latro laudatus, ipso die meruit esse in paradiso? Quia in cruce fixus tunc confessus est Christum (LUC. XXIII, 40-43), quando de illo discipuli dubitaverunt. Ergo invenit eos nutantes, et quodammodo arguentes seipsum quod in illo redemptionem speraverant. Dolebant tamen cum sine culpa occisum, quia noverant innocentem. Et hoc ipsi post resurrectionem dixerunt, cum quosdam eorum tristes invenisset in via: "Tu solus peregrinaris in Ierusalem, et non cognovisti quae facta sunt in illa istis diebus? Ille autem dixit eis: Quae? Illi autem dixerunt: De Iesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in factis et dictis in conspectu Dei et universi populi, quomodo hunc tradiderunt sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et cruci eum fixerunt. Nos autem sperabamus, quia ipse erat qui redempturus esset Israel; et nunc tertius dies agitur hodie, ex quo haec facta sunt."

Haec atque alia cum dixisset unus ex duobus quos invenit in via euntes ad propinquum castellum; respondit ipse et ait: "O insensati et tardi corde ad credendum super omnia quae locuti sunt Prophetae! nonne haec omnia oportebat pati Christum, et introire in claritatem suam? Et fuit incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretans illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant". Item alio loco, cum etiam palpari se manibus discipulorum voluit, ut crederent quia in corpore resurrexerat: "Hi sunt, inquit, sermones, quos locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quia oporteret impleri omnia quae scripta sunt in Lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me. Tunc adaperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit illis: Quia sic scriptum est, pati Christum, et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipiens ab Ierusalem."

⁷³⁸ His ex Evangelio, quae certe manifesta sunt, intellectis, patebunt illa omnia mysteria quae in isto miraculo Domini latent. Videte quid ait, quia oportebat impleri in Christo quae de illo scripta sunt. Ubi scripta sunt? *In lege, inquit, et Prophetis, et Psalmis.* Nihil Scripturarum veterum praetermisit. Illa erat aqua; et ideo dicti sunt illi a Domino insensati, quia eis adhuc aqua sapiebat, non vinum. Quomodo autem fecit de aqua vinum? Cum aperuit eis sensum, et exposuit eis Scripturas, incipiens a Moyse per omnes Prophetas. Unde iam inebriati dicebant: *Nonne cor nostrum erat ardens in via, cum aperiret nobis Scripturas?* (LUC. XXIV, 13-17). Intellexerunt enim Christum in his Libris in quibus eum non noverant. Mutavit ergo aquam in vinum

Domini noster Iesus Christus, et sapit quod non sapiebat, inebriat quod non inebriabat. Si enim iussisset inde aquam effundi, et sic ipse mitteret vinum ex occultis creaturae sinibus, unde fecit et panem quando saturavit tot millia: non enim quinque panes habebant quinque millium hominum saturitatem, aut saltem duodecim cophinos plenos (MATTH. XIV, 17-21), sed omnipotentia Domini quasi fons panis erat; sic posset et effusa aqua vinum infundere: quod si fecisset, videretur Scripturas veteres improbasse. Cum autem ipsam aquam convertit in vinum, ostendit nobis quod et Scriptura vetus ab ipso est: nam iussu ipsius impletae sunt hydriae. A Domino quidem et illa Scriptura; sed nihil sapit, si non ibi Christus intelligatur.

Intendite autem quod ipse ait: *Quae scripta sunt in Lege, et Prophetis, et Psalmis de me.* Novimus autem Legem ex quibus temporibus narret, id est, ab exordio mundi: *In principio fecit Deus coelum et terram* (GEN. I, 1). Unde usque ad hoc tempus quod nunc agimus, sexta aetas est, ut saepe audistis et nostis. Nam prima aetas computatur ab Adam usque ad Noe: secunda a Noe usque ab Abraham: et sicut Matthaeus Evangelista per ordinem sequitur et distinguit, tertia ab Abraham usque ad David: quarta a David usque ad transmigrationem in Babyloniam: quinta a transmigracione in Babyloniam usque ad Ioannem Baptistam (MATTH. I, 17): sexta inde usque ad finem saeculi. Propterea et sexta die fecit Deus hominem ad imaginem suam (GEN. I, 27): quia sexta ista aetate manifestatur per Evangelium reformatio mentis nostrae, secundum imaginem eius qui creavit nos (COL. OSS. III, 10); et convertitur aqua in vinum, ut iam manifestatum Christum

in Lege et Prophetis sapiamus. Ideo *erant ibi sex hydriae*, quas iussit impleri aqua. Sex ergo illae hydriae, sex aetates significant, quibus non defuit prophetia. Illa ergo tempora sex, quasi articulis distributa atque distincta, quasi vasa essent inania, nisi a Christo implerentur. Quid dixi, tempora quae inaniter currerent, nisi in eis Dominus Iesus praedicaretur? Impletae sunt prophetiae, plene sunt hydriae: sed ut aqua in vinum convertatur, in illa tota prophetia Christus intelligatur.

⁷⁴⁰ Quid est ergo, *Capiebant metretas binas vel ternas?* Mysterium nobis maxime ista locutio commendat. Metretas enim dicit mensuras quasdam, tamquam si diceret urnas, amphoras, vel si quid huiusmodi. Nomen mensurae est metreta, et a mensura accepit nomen ista mensura. Μετρα enim mensuram dicunt Graeci: inde appellatae metretae. *Capiebant ergo metretas binas vel ternas.* Quid dicimus, fratres? Si ternas tantum diceret, non curreret animus noster nisi ad mysterium Trinitatis. Sed forte nec sic debemus inde cito iam sensum avertere, quia dixit *binas vel ternas*: quia nominato Patre et Filio, consequenter et Spiritus sanctus intelligendus est. Spiritus enim sanctus non est Patris tantummodo, aut Filii tantummodo Spiritus; sed Patris et Filii Spiritus. Scriptum est enim: *Si quis dilexerit mundum, non est Spiritus Patris in illo* (I IOANN. II, 15); item scriptum est: *Quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius* (ROM. VIII, 9). Idem autem Spiritus Patris et Filii. Nominato itaque Patre et Filio, intelligitur et Spiritus sanctus; quia Spiritus est Patris et Filii. Cum autem nominatur Pater et Filius, tamquam duae metretae nominantur, cum autem ibi intelligitur Spiritus sanctus, tres me-

tretae. Ideo non dictum est, capientes metretas aliae binas, aliae ternas: sed ipsae sex hydriae *capiebant metretas binas vel ternas*. Tamquam diceret: Et quando dico binas, etiam Spiritum Patris et Filii cum his intelligi volo: et quando dico ternas, ipsam Trinitatem manifestius enuntio.

Quisquis itaque nominat Patrem et Filium, oportet ibi intelligat tamquam charitatem invicem Patris et Filii, quod est Spiritus sanctus. Fortassis enim discussae Scripturae: quod non sic dico, ut hodie docere possim, aut quasi aliud inveniri non possit: sed tamen fortasse scrutatae Scripturae indicant quod Spiritus sanctus charitas est. Et ne putetis vilem esse charitatem. Quomodo autem viliis est, quando omnia quae dicuntur non vilia, chara dicuntur? Si ergo quae non sunt vilia, chara sunt; quid est charius ipsa charitate? Sic autem commendatur charitas ab Apostolo, ut dicat: "Supreminentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum aeramentum sonans, aut cymbalum tinniens: et si sciero omnia sacramenta et omnem scientiam, et habuero prophetiam et omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum: et si distribuero omnia mea pauperibus, et tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest." (I COR. XII, 31; XIII, 1-3). Quanta est ergo charitas, quae si desit, frustra habentur cetera; si adsit, recte habentur omnia? Tamen charitatem laudans apostolus Paulus copiosissime atque uberrime, minus de illa dixit quam quod ait breviter apostolus Ioannes, cuius est hoc Evangelium. Neque enim dubitavit dicere: *Deus charitas est* (I IOANN. IV, 16). Scriptum

est etiam: *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (ROM. v, 5). Quis ergo nominet Patrem et Filium, et non ibi intelligat charitatem Patris et Filii? Quam cum habere coeperit, Spiritum sanctum habebit: quam si non habuerit, sine Spiritu sancto erit. Et quomodo corpus tuum sine spiritu, quod est anima tua, si fuerit, mortuum est; sic anima tua sine Spiritu sancto, id est, sine charitate si fuerit, mortua deputabitur. Ergo *metretas binas capiebant hydrīae*, quia in omnium temporum prophetia Pater et Filius praedicatur: sed ibi est et Spiritus sanctus; ideoque adiunctum est, *vel ternas*. Ego et Pater, inquit, *unum sumus* (IOANN. x, 30): sed absit ut desit Spiritus sanctus, ubi audimus: *Ego et Pater unum sumus*. Tamen quia Patrem et Filium nominavit, capiant *hydrīae binas metretas*; sed audi, *vel ternas*: *Ite, baptizate gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (MATTH. xxviii, 19). Itaque in eo quod dicuntur binae, non exprimitur, sed intelligitur; in eo vero quod dicuntur vel ternae, etiam exprimitur Trinitas.

742 Sed est et alius intellectus non praetermittendus, et ipsum dicam: eligat quisque quod placet; nos quod suggeritur non subtrahimus. Mens enim Domini est, et non oportet ministrum fraudare convivas, praesertim sic esurientes, ut appareat aviditas vestra. Prophetia quae ab antiquis temporibus dispensatur, ad salutem omnium gentium pertinet. Ad solum quidem populum Israel missus est Moyses, et ei soli populo per eum Lex data est, et ipsi Prophetiae ex illo populo fuerunt, et ipsa distributio temporum secundum eundem populum distincta est; unde et *hydrīae dicuntur secundum purificationem Iudaeorum*: sed tamen quod illa prophetia

etiam ceteris gentibus annuntiabatur, manifestum est; quandoquidem Christus in eo occultus erat, in quo benedicuntur omnes gentes, sicut promissum est Abrahae dicente Domino: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (GEN. xxii, 18). Nondum autem intelligebatur, quia nondum aqua conversa erat in vinum. Ergo omnibus gentibus dispensabatur prophetia. Quod ut emineat iucundius, de singulis aetatibus, tamquam de singulis *hydrīis*, pro tempore quaedam commemoremus.

In ipso exordio Adam et Eva parentes omnium gentium erant, non tantummodo Iudaeorum; et quidquid figurabatur in Adam de Christo, ad omnes utique gentes pertinebat, quibus salus est in Christo. Quid ergo potissimum dicam de aqua primae *hydrīae*, nisi quod Apostolus ait de Adam et Eva? Nemo enim me dicit prave intellexisse, quando intellectum non meum, sed Apostoli profero. Illud ergo unum quantum mysterium de Christo continet, quod commemorat Apostolus, dicens: *Et erunt duo in carne una: sacramentum hoc magnum est?* (EPHES. iii, 31 et 32). Et ne quis magnitudinem istam sacramenti in singulis quibusque hominibus uxores habentibus intelligeret, *Ego autem, inquit, dico in Christo et in Ecclesia*. Quod est hoc sacramentum magnum, *Erunt duo in carne una?* Cum de Adam et Eva Scriptura Geneseos loqueretur, unde ventum est ad haec verba: *Propterea relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in carne una* (GEN. ii, 24). Si ergo Christus adhaesit Ecclesiae, ut essent duo in carne una, quomodo reliquit Patrem? quomodo matrem? Reliquit Patrem, quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse aequalis Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi

accipiens (PHILIPP. ii, 6, 7). Hoc est enim, reliquit Patrem, non quia deseruit et recessit a Patre; sed quia non ea in forma apparuit hominibus in qua aequalis est Patri. Quomodo reliquit matrem? Relinquendo synagogam Iudaeorum, de qua secundum carnem natus est; et inhaerendo Ecclesiae, quam ex omnibus gentibus congregavit. Ergo et prima *hydrīa* habebat prophetiam de Christo: sed quando ista quae loquor non praedicabantur in populis, adhuc aqua erat, in vinum mutata nondum erat. Et quia illuminavit nos per Apostolum Dominus, ut ostenderet nobis quid ibi quaereremus in ipsa una sententia: *Erunt duo in carne una; sacramentum magnum in Christo, et in Ecclesia*; iam licet nobis ubique Christum quaerere, et de omnibus *hydrīis* vinum potare. Dormit Adam ut fiat Eva: moritur Christus ut fiat Ecclesia. Dormienti Adae fit Eva de latere (GEN. ii, 21): mortuo Christo lancea percutitur latus (IOANN. xix, 34), ut profluant sacramenta, quibus formetur Ecclesia. Cui non appareat quia in illis tunc factis futura figurata sunt, quandoquidem dicit Apostolus ipsum Adam formam futuri esse? *Qui est, inquit, forma futuri* (ROM. v, 14). Praefigurabantur omnia mystice. Neque enim vere non poterat Deus vigilanti costam educere, feminamque formare? An forte ne doleret latus quando costa detracta est, propter hoc oportebat ut ille dormiret? Quis est qui sic dormiat, ut ei ossa non evigilanti evellantur? An quia Deus evelebat, propterea homo non sentiebat? Poterat ergo et vigilanti sine dolore evehere, qui potuit dormienti. Sed procul dubio *hydrīa* prima implebatur: prophetia illius temporis de futuro isto tempore dispensabatur.

744 Christus etiam figuratus est in Noe, et in illa arca orbis terrarum. Quare enim

in arca inclusa sunt omnia animalia (GEN. vii, 7-9), nisi ut significarentur omnes gentes? Non enim deerat Deo rursus creare omne genus animalium. Quando enim omnia non erant, nonne dixit: *Producat terra, et produxit terra?* (Ibid. i, 24). Unde ergo tunc fecit, inde reficeret; verbo fecit, verbo reficeret: nisi quia mysterium commendabat, et secundam *hydrīam* habebat propheticae dispensationis implebat, ut per lignum liberaretur figura orbis terrarum; quia in ligno figenda erat vita orbis terrarum?

Iam in tertia *hydrīa*, ipsi Abrahae, quod iam commemoravi, dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Et quis non videat cuius habebat figuram unicus eius, qui sibi ad sacrificium, quo ipse immolandus ducebatur, ligna portabat? Portavit enim Dominus crucem suam, sicut Evangelium loquitur (IOANN. xix, 17). Hoc de tertia *hydrīa* commemorasse suffecerit.

De David autem, quid dicam quod ad omnes gentes pertinebat prophetia eius; quando modo audivimus Psalmum, et difficile est ut dicatur psalmus ubi hoc non sonet? Sed certe, ut dixi, modo cantavimus: *Surge, Deus, iudica terram; quoniam tu haereditabis in omnibus gentibus* (PSAL. lxxxii, 8). Et ideo Donatistae tamquam proiecti de nuptiis: sicut ille homo qui non habebat vestem nuptialem, invitatus est et venit, sed projectus est de numero vocatorum, quia non habebat vestem ad sponsi gloriam; qui enim suam gloriam quaerit, non Christi, non habet vestem nuptialem: non enim volunt consonare voci illius qui amicus erat sponsi, et ait: *Hic est qui baptizatus* (IOANN. i, 33). Nec immerito illi qui non habebat vestem nuptialem, hoc per increpationem obiectum est, quod non erat: *Amice, quid hic venisti?* Et sicut ille obmutuit (MATTH. xxii, 11,

12, 13), ita et isti. Quid enim prodest strepitus oris, muto corde? Noverunt quippe intus apud semetipsos non se habere quod dicant. Intus obmutuerunt, foris perstrepunt. Audiunt, velint nolint, etiam apud se cantari: *Surge, Deus, iudica terram; quoniam tu haereditabis in omnibus gentibus*: et non communicando omnibus gentibus, quid aliud quam se exhaeredatos esse cognoscunt?

747 Quod ergo dicebam, fratres, quia ad omnes gentes pertinet prophetia: volo enim alium sensum ostendere in eo quod dictum est: *Capientes metretas binas vel ternas*; ad omnes, inquam, gentes pertinet prophetia; modo commemoravimus demonstratum in Adam, *qui est forma futuri*. Quis autem nesciat quod de illo exortae sunt omnes gentes; et in eius vocabulo quatuor litteris, quatuor orbis terrarum partes per graecae appellationes demonstrantur? Si enim graecae dicantur Oriens, Occidens, Aquilo, Meridies sicut eas plerisque locis sancta Scriptura commemorat; in capitibus verborum invenis Adam: dicuntur enim graecae quatuor memoratae mundi partes *ἀνατολή, δύσις, ἄριτος, ὑστέρησις*. Ista quatuor nomina si tamquam versus quatuor sub invicem scribas, in eorum capitibus Adam legitur. Hoc in Noe propter arcam figuratum est, in qua erant omnia animalia, quae significabant omnes gentes: hoc in Abraham, cui apertius dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*: hoc in David, de cuius Psalmis, ut alia omittam, modo cantavimus: *Surge, Deus, iudica terram; quoniam tu haereditabis in omnibus gentibus*. Cui enim Deo dicitur: *Surge, nisi ei qui dormivit? Surge, Deus, iudica terram*. Tamquam diceretur: Dormisti, iudicatus a terra; surge, ut iudices terram. Et quod pertinet illa prophetia: *Quoniam tu haereditabis in omnibus gentibus?*

Iam vero in quinta aetate, tamquam in quinta hydra, Daniel vidit lapidem praecisum de monte sine manibus, et fregisse omnia regna terrarum; et crevisse illum lapidem, et factum esse montem magnum, ita ut impleret universam faciem terrae (DAN. II, 34, 35). Quid apertius, fratres mei? Lapis de monte praeciditur: ipse est lapis quem reprobaverunt aedificantes, et factus est in caput anguli (PSAL. CXVII, 22). De quo monte praeciditur, nisi de regno Iudaeorum, unde Dominus noster Iesus Christus secundum carnem natus est? Et praeciditur sine manibus, sine opere humano; quia sine amplexu maritali de virgine exortus est. Mons ille unde praecisus est, non impleverat universam faciem terrae: non enim tenuerat regnum Iudaeorum omnes gentes. At vero regnum Christi, universum orbem terrarum cernimus occupare.

749 Iam ad sextam aetatem pertinet Ioannes Baptista, quo nemo exsurrexit maior in natis mulierum: de quo dictum est: *Maior quam propheta* (MATTH. XI, 11, 9). Quomodo et ipse ostendit, quia omnibus gentibus missus est Christus? Quando Iudaei venerunt ad eum ut baptizarentur, et ne superbirent de nomine Abraham, *Generatio*, inquit, *viperarum quis ostendit vobis fugere ab ira ventura? facile ergo fructum dignum poenitentiae; id est, humiles estote: superbis enim loquebatur*. Unde autem erant superbi? De genere carnis, non de fructu imitationis patris Abraham. Quid eis ait? *Nolite dicere, Patrem habemus Abraham: potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham* (MATTH. III, 9). Lapides dicens omnes gentes, non propter firmitatem sicut lapis dictus est quem reprobaverunt aedificantes; sed propter stoliditatem et duritiam stultitiae, quia eis quos adorabant similes facti

erant: adorabant enim insensata simulacra, pariter insensati. Unde insensati? Quoniam in Psalmo dicitur: *Similes illis fuerunt qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* (PSAL. CXIII, 8). Ideo cum coeperint homines Deum adorare, quid audiunt? *Ut sitis filii Patris vestri qui in caelis est, qui solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos* (MATTH. V, 45). Quapropter si ei fit homo similis quem adorant; quid est, *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham*? Nos ipsos interrogemus, et videmus quia factum est. Nos enim de gentibus venimus; de gentibus autem non veniremus, nisi Deus de lapidibus suscitasset filios Abraham. Facti sumus filii Abraham imitando fidem, non nascendo per carnem. Sicut enim illi degenerando exhaeredati; sic nos imitando adoptati. Ergo, fratres, ad omnes gentes pertinebat etiam ista sextae hydrae prophetia; et ideo de omnibus dictum est: *Capientes metretas binas vel ternas*.

750 Sed quomodo ostendimus omnes gentes pertinere ad binas vel ternas metretas? Aestimantis enim fuit quodammodo, ut ipsa diceret binas, quas dixerat ternas ad commendandum scilicet sacramentum. Quomodo sunt binae metretae? Circumcisio et praeputium. Hos duos populos Scriptura commemorat, et nullum praetermittit hominum genus, quando dicit: *Circumcisio et praeputium* (COLOSS. III, 11); in duobus istis nominibus habes omnes gentes: binae metretae sunt. His duobus parietibus de diverso venientibus ad pacem in seipso faciendam, lapis angularis factus est Christus (EPH. II, 14-20). Ostendamus et ternas metretas in eisdem ipsis omnibus gentibus. Tres erant filii Noe (GEN. V, 31), per quos reparatum est genus humanum. Unde Dominus ait: *Simile est regnum*

caelorum fermento, quod accepit mulier et abscondit in farinae mensuris tribus, quoadusque fermentaretur totum (LUC. XIII, 21). Quae est ista mulier, nisi caro Domini? Quod est fermentum, nisi Evangelium? Quae sunt tres mensurae, nisi omnes gentes, propter tres filios Noe? Ergo *sex hydrae capientes binas vel ternas metretas*, sex sunt aetates temporum, capientes prophetiam pertinentem ad omnes gentes, sive in duobus generibus hominum, id est, Iudaeis et Graecis, sicut saepe Apostolus commemorat (ROM. II, 9; I COR. I, 24, etc.), sive in tribus, propter Noe tres filios, significatas. Figurata est enim prophetia pertingens usque ad omnes gentes. Nam in eo quod pertingit, dicta est metreta, sicut dicit Apostolus: *Accepimus mensuram pertingendi usque ad vos* (II COR. X, 13). Gentibus enim evangelizans, hoc ait, *mensuram pertingendi usque ad vos*.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.

(DE FESTIS DOM., LIB. I, CAP. 9, N. 17, 18).

XVII.

751 Quae polliciti sumus ut expleantur, iam dicere debemus, ubi Iesum Magi repererint, quove eum cultu adoraverint. De loco quaestio oritur ex illis S. Matthaei verbis, cap. 2, v. 11: *Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre eius; quibus nonnulli addacti sunt ut crederent, Christum infantem non in spelunca reperiunt a Magis, ubi natus erat, sed in domo quadam, in quam parentes cum puero commoditatis gratia diverterant*. Ita Epiphanius lib. 2 contra Haereses, haer. 51, n. 9, tom. 1: *Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria, non in praesepe vel in spelunca, sed in domo*. Idem ait Theophilactus in cap. 2 S. Matthaei; quem sequitur Maldonatus in Comment. ad eundem locum: *Mysterio iam erat satisfactionem. Necessitatem cessisse credendum est; et Mariam aut Ioseph omni diligentia commodiorem locum quaesivisse suadet ipsorum pietas*. Quidam vero quaesunt, in eadem spelunca reperiunt a Magis, in qua natus erat; nec quidquam eis movet verbum illud *domus*, quo Evangelista titulus, cum quilibet apud Hebraeos locus, et voluerunt

quoque nidus domus nomine appelleretur, ut in Psal. 103, v. 17: *Erodii domus*, hoc est Ciconiae nidus. Hanc esse S. Hieronymi sententiam colligitur ex ep. 47, alias 17, ad Marcellam n. 10, tom. 4: *Ecce in hoc parvo terrae foramine Colosorum conditor natus est, hic involutus pannis, hic visus a Pastoribus, hic demonstratus a Stella, hic adoratus a Magis: et hac die canit Ecclesia: Hodie Stella Magos duxit ad Praesepe*. Ideo vero S. Epiphanius aliter sensit, quod non tredecim post dies, sed duos annos post nativitatem Magos Iesum adoratos venisse arbitratus est, ut infra demonstrabimus. Ayala, l. c., num. 3, primam, Suarez loco cit., sect. 4, posteriorem sequitur opinionem, eamque dicit esse communem Patrum sententiam. Idem affirmat Theophilus Raynaudus, loc. c., num. 15. Quarresmius elucidat. *Terrae Sanctae*, tom. 2, cap. 7, lib. 6, haec scribit: *Clorum communis ante proposita sententia retinenda est, quae assertit, Christum nedium esse in specu notum, sed etiam in eodem a Magis adoratum*. Card. Gottus, in saepius laudato Opere, cap. 11, § 4, num. 37, utriusque sententiae tribuit probabilitatem. Cornellius vero a Lapide, ad cap. 2 Matth., vers. 2, in eam sententiam videtur esse propensor, quae statuit Iesum Christum in Praesepe a Magis repertum esse: ait enim, Bethlehemi, quae parva Civitas erat unicum patuisse viatoribus publicum diversorium, cui veluti appendix in usum equorum iumentorumque stabulum iungebatur; itaque S. Matth., domus nomine, quo Magos introisse narrat, Praesepe seu Stabulum, quod domus erat appendix, significare voluisse; et Calmetus ad cap. 2 Matth., vers. 2, publicum Bethlehemi diversorium accurate describit, concluditque, si quidem putemus, Magos biennio a Iesu Christi nativitate ad eum adorandum venisse, verisimilius esse Beatam Virginem occupatis omnibus diversorii cubiculis, non alibi, quam in stabulo puerum parere potuisse; postquam vero diversorium a viatoribus vacuum fuit, in mundiorum locum se contulisse cum puero, quem propterea Magi in domo invenerunt. Et laudatus Auctor in Notis ad I. Chr. vitam, cap. 7, lit. I, ait: *In domo igitur, non in spelunca seu caverna, Magi Iesum Christum adorarunt. Etsi sacer textus id expresso non diceret, quis credat B. Virginem tandem in tam incommodo permansisse loco, quo non aliud causae fuit ut secederet, quam quod paritura cum esset, frequentissima hominum multitudine Bethlehemi loca omnia compleverunt*.

752

XVIII. Ceterum si huius quaestionis enodatio petenda esset ex tempore quo Magi, Bethlehemum pervenerunt, et ea sententia quae Christum Dominum non in Praesepe, sed in Domo a Magis repertum esse statuit, hoc uno nitetur fundamento;

quod Magi biennio post Iesu Christi nativitatem advenierunt. Nos qui non tanto post tempore Magos venisse credimus, facile respondere possumus, non in domo, sed in Praesepe Magos Divinum Puerum invenisse: certum enim notis est, ne tantillum quidem a communi opinione recedere, Magos scilicet tredecim tantummodo diebus a Christo nato ad Praesepe pervenisse. Verum cum hanc sententiam aliae quas supra attulimus, rationes tueantur, non repugnamus, quin sua utriusque opinioni probabilitas constet: neque tamen dissimulabimus propter expressam D. Hieronymi auctoritatem, qui tamdiu loca illa Redemptionis nostrae consecrata Mysteriis incoluit, propensiores nos in eorum esse sententiam, qui putant infantem Iesum in Praesepe a Magis fuisse inventum. At de cultu, quo Redemptorem nostrum illi adoraverunt, fidentiore animo disseremus.

FERIA SECUNDA

Homilia S. Thomae Aquinatis.

IN IOANN. CAP. II.

SUPRA Evangelista ostendit dignitatem Verbi incarnati, et evidentiam eius multipliciter; hic consequenter incipit determinare de effectibus et operibus quibus manifestata est mundo divinitas Verbi incarnati. Et primo narrat ea quae Christus fecit in mundo vivendo, ad manifestationem suae divinitatis; secundo quomodo Christus suam divinitatem monstravit moriendo; et hoc a XII cap. et ultra. Circa primum duo facit: primo enim ostendit Christi divinitatem quantum ad dominium quod habuit supra naturam; secundo quantum ad effectus gratiae, et hoc in III cap. ibi, *Erat homo ex Pharisaeis Nicodemus nomine, etc.* Dominium autem Christi super naturam proponitur nobis per hoc quod naturam mutavit: quae quidem mutatio facta est a Christo in signum primo discipulis ad confirmandum; secundo vero turbis ad credendum, ibi, *Post hoc descendit Capharnaum*. Mutatio autem naturae ad con-

firmandos discipulos in nuptiis facta est, in quibus convertit aquam in vinum; et hoc est quod dicit: *Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae*: ubi primo describuntur nuptiae; secundo illi qui nuptiis interfuerunt, ibi, *Erat autem mater Iesu ibi*; tertio describitur ipsum miraculum patratum, ibi, *Et deficiente vino, etc.* Describit autem nuptias primo quidem quantum ad tempus; unde dicit: *Et die tertio nuptiae factae sunt*, scilicet postquam praedicta de vocatione discipulorum fecerat. Postquam enim manifestatus fuerat testimonio Ioannis, voluit etiam seipsum manifestare. Secundo vero, quantum ad locum; unde dicit: *In Cana Galilaeae*. Galilaea namque provincia est, Cana viculus quidam in ipsa provincia.

754

Quantum autem ad litteram pertinet, sciendum est, quod circa tempus praedicationis Christi est duplex opinio. Quidam namque dicunt, quod a baptismo Christi usque ad passionem eius, fuerint duo anni et dimidius. Et secundum hos, hoc quod hic legitur de nuptiis, eodem anno factum est quo Christus baptizatus est. Sed his contrariatur sententia et consuetudo Ecclesiae: nam in festo Epiphaniae trium miraculorum commemoratio fit: scilicet adorationis Magorum, quae fuit primo anno nativitatis Dominicae; et baptismi Christi, quo baptizatus est eodem die, revolutis triginta annis; et de nuptiis, quae sunt factae eodem die, revoluto anno. Ex quo sequitur quod ad minus unus annus clapsus fuit a baptismo usque ad nuptias. In quo quidem anno nil aliud legitur Dominus fecisse nisi quod dicitur Matth. IV de ieiunio in deserto, et de tentatione a diabolo, et ea quae hic Ioannes refert de testimonio Baptistae et conversione discipulorum. A nuptiis autem coepit publice praedicare et mi-

racula facere usque ad passionem, ita quod duobus annis cum dimidio publice praedicavit.

Mystice autem per nuptias intelligitur coniunctio Christi et Ecclesiae: quia, ut dicit Apostolus Ephes. V, 32: *Sacramentum hoc magnum est: dico autem in Christo et in Ecclesia*. Et illud quidem matrimonium initiatum fuit in utero virginali, quando Deus Pater Filio humanam naturam univit in unitate personae, unde huius coniunctionis thalamus fuit uterus virginalis; Psal. XXII, vers. 6: *In sole posuit tabernaculum suum*. De istis nuptiis dicitur Matth. XXII, 2: *Si mile est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo*: tunc scilicet quando Deus Pater humanam naturam Verbo suo copulavit in utero virginali. Publicatum autem fuit, quando Ecclesia sibi per fidem coniuncta est; Oseea II, 20: *Sponsabo te mihi in fide, etc.* De istis nuptiis Apoc. XIX, 9: *Beati qui ad coenam nuptiarum agni vocati sunt, Consummatum autem erit, quando sponsa, idest Ecclesia, introducetur in thalamum sponsi, in coelestem scilicet gloriam*. Nec vacat a mysterio quod die tertio nuptiae factae sunt. Primus namque dies est tempus legis naturae; secundus tempus legis scriptae; tertius vero dies tempus gratiae, in quo Dominus incarnatus nuptias celebravit; Oseea VI, 3: *Vivificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos*. Locus autem congruit mysterio: Cana enim interpretatur zelus; Galilaea vero transmigrationis. In zelo ergo transmigrationis hae nuptiae celebrantur, ut denuntiet eos maxime Christi coniunctione dignos existere qui zelo pie transmigrationis ferventes transmigrant de statu culpae ad gratiam Ecclesiae; Eccl. XXIV, vers. 26: *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, etc.* Et de morte ad vitam, idest de statu mortalitatis et

miseriae ad statum immortalitatis et gloriae; Apoc. xxi, 5: *Ecce nova facio omnia.*

755 Consequenter cum dicit, *Erat autem mater Iesu ibi*, describuntur personae invitatae: ubi agitur de tribus, scilicet de matre, de Iesu et de discipulis. De matre quidem, cum dicit: *Et erat mater Iesu ibi*: quae quidem praemittitur, ut ostendatur quod Iesus adhuc ignotus erat, et non vocatus ad nuptias, sicut insignis persona, sed ex quadam familiaritate tamquam notus, et unus aliorum: sicut enim vocaverunt matrem, ita et filium. Vel forte prius invitatur mater, quia ambigebant de Iesu, an invitatus venturus esset ad nuptias propter summam religiositatem, quam videbant in eo, et quia non viderunt eum se immiscuisse conviviis: et ideo puto quod primo consuluerunt matrem, an Iesus esset vocandus. Et ideo signanter dixit Evangelista primo matrem adesse iam in nuptiis, et Iesum postmodum fuisse vocatum; et hoc est quod sequitur, *Vocatus est Iesus.* Voluit autem Christus nuptiis interesse primo quidem ut daret nobis humilitatis exemplum: neque enim ad dignitatem suam respiciebat; sed "quomodo dignatus est formam servi accipere, ita non dedignatus est ad nuptias venire servorum", ut dicit Chrysostomus. Et ideo Augustinus: "Erubescat homo esse superbus, quoniam factus est humilis Deus". Nam inter cetera humilia quae fecit Filius Virginis, venit ad nuptias, qui eas, cum esset apud Patrem, instituit in paradiso. Et de hoc exemplo dicitur, Matth. xi, 29: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Secundo vero ut errorem quorundam excluderet, qui nuptias damnant: quia ut dicit Beda: "Si thoro immaculato, et nuptiis debita castitate celebratis, culpa inesset, nequaquam Dominus

ad has venire voluisset". Quia ergo ad nuptias venit, insinuat quod sit damna-bilis eorum perfidia qui nuptiis detrahunt; I Corinth. vii, 36: *Non peccat mulier, si nubat.* De discipulis vero agitur, cum dicit, *Et discipuli eius.*

Mystice autem in nuptiis spiritualibus 757 est mater Iesu, Virgo scilicet beata, sicut nuptiarum consiliatrix, quia per eius intercessionem coniungitur Christo per gratiam; Eccli. xxiv, 25: *In me omnis spes vitae et virtutis.* Christus autem, sicut verus animae sponsus, ut dicitur infra iii: *Qui habet sponsam, sponsus est.* Discipuli vero ut paranymphi, quasi coniungentes Ecclesiam Christo, de quo uno dicebatur II Corinth. xi, 2: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.*

Et quia in istis nuptiis materialibus 758 aliquid de miraculo pertinet ad matrem, aliquid ad Christum et aliquid ad discipulos, ideo consequenter cum dicit, *Et deficiente vino*, etc. ostendit quid pertinet ad matrem, quid ad Christum et quid ad discipulos. Ad matrem quidem pertinet miraculi procuratio; ad Christum autem miraculi consummatio, et hoc ibi, *Erant ibi lapideae hydrae sex*, etc.; ad discipulos vero miraculi contestatio, ibi, *Hoc fecit initium signorum Iesus.* Gessit ergo, quantum ad primum, mater Christi, mediatrix personam; et ideo duo facit: primo enim interpellat ad filium; secundo cruditi ministros, ibi, *Et dicit mater eius ministris*, etc. Circa primum quidem duo ponuntur. Primo matris interpellatio; secundo filii responsio, ibi, *Dixit ei Iesus: Quid mihi et tibi est, mulier?* In matre autem interpellante, primo quidem nota pietatem et misericordiam: ad misericordiam enim pertinet ut quis defectum alterius reputet quasi suum: misericors enim dicitur, quasi miserum habens cor super miseria

alterius; II Cor. xi, 29: *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* Quia ergo Virgo beata misericordia plena erat, defectus aliorum sublevare volebat; et ideo dicit: *Deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum.* Secundo reverentiam eius ad Christum: ex reverentia enim quam ad Deum habemus, sufficit nobis ei tantum defectus nostros exponere, secundum illud Psal. xxxvii, 10: *Domine, ante te omne desiderium meum.* Qualiter autem nobis Deus subveniat, non est nostrum inquire: quia, sicut dicitur Rom. viii, 26: *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Et ideo mater eius defectum aliorum simpliciter exposuit, dicens: *Vinum non habent.* Tertio Virginis sollicitudinem et diligentiam: quia usque ad extremam necessitatem non distulit; sed *deficiente vino*, id est dum esset in deficiendo; iuxta illud quod dicitur in Psal. ix, 10 de Deo: *Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.*

759 Sed quaerit Chrysostomus: Quare ante non incitavit Christum ad miracula? nam de virtute eius erat instructa per angelum, et confirmata per multa quae viderat circa ipsum fieri, quae omnia conservabat, conferens in corde suo, ut dicitur Luc. ii. Cuius ratio est, quia antea ut unus aliorum conversabatur: unde quia non viderat tempus opportunum, hoc facere distulit. Nunc vero post Ioannis contestationem, et post discipulorum conversionem, confidenter Christum ad miracula facienda provocat, gerens in hoc figuram synagogae, quae est Iudaeis miracula requirere; I Cor. i, 12: *Iudaei signa petunt.*

760 Dicit ergo ei: *Vinum non habent.* Ubi sciendum est, quod ante incarnationem Christi, triplex vinum deficiebat, scilicet iustitiae, sapientiae et charitatis, seu gratiae. Vinum enim mordicat, et quan-

tum ad hoc iustitia dicitur vinum. Luc. x, Samaritanus vinum et oleum apposuit vulneribus sauciatum, id est cum dulcedine misericordiae severitatem iustitiae; Psal. lxx, 5: *Polasti nos vino compunctionis.* Vinum etiam laetificat cor, iuxta illud Psal. ciii, 15: *Vinum laetificat cor hominis.* Et quantum ad hoc dicitur vinum sapientia, cuius meditatio maxime laetificat; Sap. viii, 16: *Non habet amaritudinem convictus illius.* Vinum similiter inebriat; Cant. v, 1: *Bibite, amici, et inebriamini, carissimi*: et secundum hoc charitas dicitur vinum; Cant. v, 1: *Bibi vinum meum cum lacte meo.* Et dicitur charitas etiam vinum ratione fervoris; Zach. ix, 17: *Vinum germinans virgines.* Et quidem iustitiae vinum deficiebat in veteri lege, in qua iustitia imperfecta erat. Sed Christus eam perfecit; Matth. v, 20: *Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum.* Deficiebat etiam vinum sapientiae, quae erat occulta et figuralis; quia, ut dicitur I Cor. x, 11: *Omnia in figura contingebant illis.* Sed Christus eam manifestavit; Matth. vii, 29: *Erat enim docens eos, sicut potestatem habens.* Sed et vinum charitatis deficiebat ibi: quia acceperant spiritum servitutis tantum in timore. Sed Christus aquam timoris convertit in vinum charitatis, quando dedit *spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater*, ut dicitur, Rom. viii, 15: et quando *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, ut dicitur Rom. v, 5.

761 Consequenter cum dicit, *Dixit ei Iesus*, etc. ponitur responsio Christi: ex qua quidem responsione triplicis haeresis occasio sumpta est. Manichaei namque dicunt, Christum non habuisse verum corpus, sed phantasticum. Valentinus asserit, Christum attulisse corpus coeleste, dicens, quod quantum ad corpus,

Christus nihil pertinet ad Virginem. Et huius erroris fulcimentum sumit per hoc quod dicit ei Iesus: *Quid mihi et tibi est, mulier?* quasi dicat: Nihil a te suscepi. Sed hoc est contra auctoritatem sacrae Scripturae: dicit enim Apostolus, Gal. cap. iv, 4: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere*: non enim posset dici ex ea factus, nisi ex ea aliquid sumpsisset. Arguit praeterea contra eos Augustinus, dicens: "Quomodo scis, quod Dominus dixit: *Quid mihi et tibi?* Respondes, quia Ioannes Evangelista hoc narrat. Sed ipse etiam Evangelista dicit de Virgine quod erat mater eius. Si ergo credis Evangelistae in eo quod narrat Iesum dixisse matri: *Quid mihi et tibi est, mulier?* credas etiam in hoc ei quod dicit: *Et erat mater Iesu ibi* „ Ebion autem dicens ex virili semine Christum conceptum, et Elvidius, qui dicit, quod Virgo post partum non permansit virgo, sumpsit erroris fulcimentum ex hoc quod dicit, *Mulier*, quod videtur corruptionem importare. Sed hoc est falsum, quia mulier in sacra Scriptura quandoque importat solum sexum femineum, secundum illud Gal. iv, 4: *Factum ex muliere*, etc. Et hoc patet etiam per hoc quod Adam ad Deum loquens de Eva, dixit: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi*: Gen. iii, 12. Constat enim tunc Evam adhuc virginem fuisse, cum adhuc esset in paradiso, ubi non cognoverat eam. Unde hoc quod hic dicitur, *Mulier*, non importat corruptionem, sed determinat sexum. Sumpsit etiam Priscillianistae erroris occasionem ex hoc quod dicit: *Nondum venit hora mea*, dicentes, omnia ex fato accidere, et facta hominum certis horis esse subiecta, et etiam Christi: unde propter hoc dicit: *Nondum venit hora mea*. Sed hoc est falsum de quolibet homine: cum enim homo liberam ele-

ctionem habeat; libera autem electio competat ei ex hoc quod rationem et voluntatem habeat, quae quidem sunt immaterialia: manifestum est quod homo quantum ad electionem nulli corpori subicitur, sed potius dominatur: immaterialia enim nobiliora sunt materialibus: et ideo dicit Philosophus, quod sapiens dominatur astris. Praeterea hoc multo minus locum habet in Christo, qui est dominus et conditor siderum: unde per hoc quod dicit, *Nondum venit hora mea*, intelligitur: hora passionis, sibi, non ex necessitate, sed secundum divinam providentiam determinata. Contra eos etiam est quod dicitur Eccl. xxxiii, 7: *Quare dies diem superat?* Respondet: *A Domini scientia separati sunt*; idest, divina providentia distincti sunt ad invicem, non a casu.

His ergo exclusis investigemus huius Dominicae responsionis causam. *Quid mihi et tibi est, mulier?* Et quidem, secundum Augustinum, in ipso sunt duae naturae, divina scilicet, et humana; et quamvis idem Christus sit in utraque natura, ea tamen quae conveniunt ei secundum humanam naturam, distincta sunt ab his quae conveniunt ei secundum divinam. Miracula autem facere competit ei secundum divinam naturam, quam accepit a Patre; pati vero secundum humanam, quam accepit a matre: et ideo matri exigenti miraculum, respondit dicens: *Quid mihi et tibi est, mulier?* ac si dicat: Illud quod in me facit miracula non accipi a te, sed illud unde patior; idest, secundum quod competit mihi pati, scilicet humanam naturam, a te accipi: et ideo tunc te cognosciam, cum ipsa infirmitas pendebit in cruce; et ideo subdit: *Nondum venit hora mea*; quasi dicat: Cum venerit hora passionis, ibi te matrem cognosciam. Unde et in cruce pendens matrem

discipulo commendavit. Secundum Chrysostomum vero, aliter exponitur. Dicitur enim quod beata Virgo fervens zelo honoris filii, voluit quod statim antequam opportunum esset, Christus miracula faceret; et ideo Christus matre haud dubio sapientior eam repressit. Noluit enim prius facere miraculum, quam sciretur defectus: quia ex hoc fuisset minus notum et minus credibile, et ideo dicit: *Nondum venit hora mea*; idest, nondum cognitus sum his qui adsunt. Sed neque defectum vini sentiunt: sine ergo primo hoc sentire: quia cum necessitate cognoverint, maius reputant beneficium quod recipiunt.

⁷⁶³ Quamvis autem mater repulsa sit, tamen de filii misericordia non diffidit; ideo consequenter monet ministros, dicens: *Quocumque dixerit vobis, facite*: in quo quidem consistit totius iustitiae perfectio. Perfecta namque iustitia est Christo in omnibus obedire; Exod. xxxix, vers. 35: *Omnia quae praecepit nobis Dominus faciemus*. Hoc autem verbum, *Omnia quaecumque dixerit vobis facite*, non convenit dici, nisi de solo Deo: homo enim aliquando potest errare. Unde in talibus quae sunt contra Deum, hominibus obedire non tenemur; Act. v, 29: *Oportet obedire Deo magis quam hominibus*. Deo autem qui non errat, nec falli potest, in omnibus obedire debemus.

⁷⁶⁴ Consequenter cum dicit, *Erant autem ibi lapideae hydrae*, ponitur consummatio miraculi per Christum: circa quod primo describuntur vasa in quibus miraculum patratum est; secundo designatur materia miraculi, ibi, *Dixit eis Iesus: Implete hydras aqua*; tertio insinuat miraculi demonstratio et approbatio, ibi, *Dixit eis Iesus: Haurite nunc*. Vasa autem in quibus miraculum patratum est, ponuntur sex; et hoc est quod dicit:

Erant autem ibi lapideae hydrae sex. Ubi sciendum est, quod sicut Matth. vii dicitur, Iudaei observabant multas ablu-tiones corporales, et baptismata calicum et vasorum: unde quia erant in Palestina, in qua est defectus aquarum, habebant vasa in quibus servabatur aqua purissima, qua se, et vasa crebro lavarent: et ideo dicit, quod *erant ibi sex lapideae hydrae*, idest vasa ad conservandum aquam, ab hydros, quod est aqua, *posita secundum purificationem Iudaeorum*, idest ad usum purificationis, *capientes singulae metretas*, idest mensuras, *binas, vel ternas*: metros enim Graece, mensura Latine dicitur: et, ut dicit Chrysostomus, vasa ista deferuntur ad tollendam miraculi suspensionem: tum propter eorum puritatem, ne posset aliquis suspicari quod aqua saporem vini sumpsisset ex faecibus vini prius in eis repositi: nam vasa illa erant *secundum purificationem*; et ideo purissima oportebat ea esse: tum etiam propter vasorum quantitatem, ut evidenter pateat quod aqua tot vasorum in vinum mutari non potuisset, nisi virtute divina.

⁷⁶⁵ Mystice vero per sex hydras significantur sex aetates veteris Testamenti, in quibus erant corda hominum receptiva Scripturarum Dei parata, et proposita in exemplum vivendi, ut dicit Glossa. Hoc vero quod dicit *metretas*, secundum Augustinum, refertur ad Trinitatem personarum. Et dicuntur binas, vel ternas, quia quandoque in sacra Scriptura tres personae distinctim ponuntur, secundum illud Matth. ult., 19: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Quandoque vero duo tantum, scilicet Pater et Filius, in quibus intelligitur persona Spiritus sancti, qui est connexio amborum, secundum illud infra xiv, 23: *Si quis sermonem meum servabit, Pater meus diliget eum,*

et ad eum veniemus. Vel binas propter duas conditiones hominum, Iudaeorum scilicet, et Gentilium, ex quibus propagata est Ecclesia. Vel ternas propter tres filios Noe, ex quibus propagatum est humanum genus post diluivum.

766 Consequenter cum dicit, *Dixit eis Iesus: Implete hydrias aqua*, agitur de miraculi materia.

767 Sed circa hoc insurgit quaestio quare non ex nihilo, sed ex materia praeciocenti hoc miraculum factum est: ad quod triplex ratio assignatur. Una est secundum Chrysostomum, et litteralis, quia ex nihilo aliquid facere, maius est et mirabilius, quam facere aliquid ex subiecta materia; sed non est ita evidens et credibile multis. Et ideo volens magis credibile esse quod fiebat, ex aqua fecit vinum, capacitati hominum condescendens. Alia ratio est, ad confutandum perversa dogmata. Quidam namque sunt (ut Marcionistae et Manichaei) qui dixerunt alium esse conditorem mundi, quam Deum, et omnia visibilia ab illo, idest diabolo, condita esse. Et ideo Dominus plura miracula etiam ex substantiis creatis, et visibilibus fecit, ut ostendat ipsas substantias bonas esse, et a Deo creatas. Tertia ratio est mystica: ideo enim noluit ex nihilo vinum facere, sed ex aqua vinum fecit, ut ostenderet se non omnino novam doctrinam condere et veterem reprobare, sed adimplere; ut dicitur Matth. cap. v. 17: *Non veni solvere legem, sed adimplere*: dum quod figurabat vetus lex, et promittebat, Christus exhibuit, et aperuit; Luc. ult. 45: *Aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas*.

768 Voluit autem per ministros hydrias impleri aqua, ut eos, eius quod fiebat, testes haberet: unde infra dicitur: *Ministri autem sciebant, etc.*

769 Consequenter cum dicit, *Et dixit eis*

Iesus, etc. ponitur miraculi publicatio: statim enim quod hydriae impletae sunt, aqua in vinum conversa est; et ideo statim Dominus miraculum publicat, dicens: *Haurite nunc, et ferte architriclino*: ubi primo ponitur mandatum Christi examinatorem eligentis; secundo sententiam architriclini degustantis, ibi, *Ut autem gustavit architriclinus, etc.* Dixit ergo eis, scilicet ministris: *Haurite nunc, scilicet vinum de hydriis, et ferte architriclino*. Ubi sciendum est, quod trichlinium est locum ubi sunt tres ordines mensarum, et dicitur trichlinium a triplici ordine lectorum: elinim enim in Graeco lectum significat. Nam antiqui in lectis accumbentes consueverant comedere, ut Maximus Valerius narrat. Et ideo dicunt in Scripturis accumbere et recumbere. Architriclinus ergo dicitur primus et princeps inter convivas. Vel aliter, secundum Chrysostomum, architriclinus erat qui erat ordinator et dispensator totius convivii. Quia vero sollicitus nondum aliquid gustaverat, voluit Dominus quod ipse iudicaret de eo quod factum erat, et non convivae, ne aliquis posset miraculo detrudere, dicens, eos ebrios esse, et eorum sensus per comestionem corruptos, ita quod non possent discernere, an vinum esset vel aqua. Sed, secundum Augustinum, architriclinus erat maior inter discumbentes, ut dictum est; et ideo, ut eius sententia acceptabilior fieret, voluit in eo quod factum erat habere sententiam praesidentis.

Mystice autem, qui hauriunt aquam sunt praedicatores; Isa. xii, 3: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Architriclinus autem est aliquis legis peritus, puta Nicodemus, Gamaliel et Paulus. Dum ergo talibus verbum Evangelii committitur, quod latebat in littera legis, quasi vinum de aqua factum

architriclino propinatur: qui hoc degustans approbat fidem Christi.

771 Consequenter cum dicit, *Ut autem gustavit architriclinus*, ponitur examinantis iudicium: ubi primo inquit veritatem facti; secundo proferet sententiam, dicens: *Omnis homo primum bonum vinum ponit*. Dicit ergo: *Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat unde esset*: quia ignorabat aquam vinum factam miraculo per Christum: *ministri autem sciebant*: cuius ratio est, quia hauserant aquam: *vocat sponsum architriclinus*: ut veritatem inquirat, et de vino sententiam proferat; unde subdit: *Omnis homo primum bonum vinum ponit, etc.* Ubi, secundum Chrysostomum, hoc considerandum est in miraculis Christi, quod omnia perfectissima fuerunt; unde et socrui Petri perfectissimam sanitatem restituit, ut statim surgens ministraret, ut dicitur Marc. ii et Matth. ix. Paralyticum etiam ita perfecte sanitati restituit quod statim surgens, et sublato lecto iret in domum suam, ut dicitur infra v. Hoc etiam in isto miraculo apparet: quia non quaecumque vinum de aqua fecit, sed optimum quod poterat esse. Et ideo dicit architriclinus: *Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est*: quia minus bibunt, et quia vinum bonum in quantitate sumptum, cum quantitate cibi magis gravat; quasi dicat: Unde est tale vinum, quod tu servasti usque adhuc? contra consuetudinem scilicet faciens.

772 Competit autem mysterio: nam aliquis dicitur mystice primo bonum vinum ponere, qui alios decipere intendens, errorem quem intendit non proponit primo, sed quae alliciant auditores, ut postquam inebriati et allecti fuerint ad consensum suae intentionis perditionem manifestet; et de isto vino dicitur Proverb. xxiii,

31: *Ingreditor blande, et in novissimo mordebit sicut coluber*. Dicitur autem aliquis primo bonum vinum ponere, qui a principio suae conversionis sancte et spiritualiter vivere incipiens, tandem in vitam carnalem degenerat; Gal. iii, 3: *Sic stulti facti estis, ut cum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini?* Christus vero non primo vinum ponit: quia a principio amara et dura proponit; Matth. vii, 14: *Arcta est via quae ducit ad vitam*. Sed quanto plus homo in eius fide et doctrina procedit, tanto plus dulcoratur, et maiore suavitate sentit; Proverb. cap. iv, 2: *Ducam te per sentiam aequalitatis, quam cum ingressus fueris non ardeantur gressus tui*. Item in mundo isto amaritudines et tribulationes patiuntur omnes qui pie volunt vivere in Christo; infra xvi, 20: *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, etc.* Sed in futuro delectationes et gaudia suscipient; unde et sequitur: *Tristitia vestra vertetur in gaudium*. Rom. vii, 18: *Existimo quod non sunt condignae passionis huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis*.

Consequenter cum dicit, *Hoc fecit initium signorum Iesus*, ponitur miraculi contestatio per discipulos facta: ex quo habetur, quod falsa est Historia de infantia Salvatoris, in qua recitantur multa miracula facta a Christo adhuc puero existente. Si enim hoc verum esset, non utique Evangelista diceret: *Hoc fecit initium signorum Iesus*. Et ratio quare non in pueritia miracula fecit, assignata est supra, ne ea scilicet homines phantastica reputarent: ergo hac de causa hoc miraculum, scilicet de aqua vinum, fecit in Cana Galilaeae Iesus, quod est initium signorum, quae fecit Iesus postea; et manifestavit gloriam suam, idest potentiam qua gloriosus est; Psal. xxiii, 10: *Dominus virtutum ipse est Rex glo-*

riae. — *Et crediderunt in eum discipuli eius.*

774 Sed quomodo crediderunt? Iam enim discipuli erant, et ante crederant. Sed dicendum est, quod aliquid dicitur esse aliquando non secundum quod nunc est, sed secundum quod futurum est; sicut dicitur quod Paulus apostolus natus est Tharso Ciliciae: non quod ibi sit natus apostolus, sed quod futurus apostolus, ibi natus fuit; ita dicitur hic: *Et crediderunt in eum discipuli eius*, scilicet qui erant discipuli eius. Vel dicendum, quod ante crediderunt ei sicut bono viro, iusta et recta praedicanti; sed modo crediderunt in eum tanquam in Deum, etc.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.

(DE FESTIS DOM., LIB. I. CAP. 2, N. 19-21.)

XXX.

775 SANCtus Matthaeus in saepe laudato cap. 2, v. 11, ait: *Et procidentis adoraverunt eum; et aperitis thesauris suis obtulerunt ei monera, aurum, thus et myrrham.* Ad haec verba ita scribit a Lapide: *Erasmus censet Magos non cognovisse Christum esse Deum; ideoque non latria, sed cultu civili eum ut Regem Iudaeorum adorasse, idest veneratos esse. Verum contrarium docent Patres et Interpretes, scilicet Magos instincto Dei agnovisse Christi Divinitatem, eoque latria adorasse; adeoque ei thus, quod soli Deo debetur, obtulisse. Idem plane scribunt ceteri Sacri textus Interpretes.*

776 XX. Novi tamen Testamenti versio Trevoltensis, ann. 1702 edita (cuius lectionem Christifidelibus primum egregii quidam Gallicani Antistes, deinde S. Romana Sedes Apostolica Decreto 2 Martii 1704 interdixit) quaedam item dissertatio ab Auctore Bibliothecae Criticae, Basileae ann. 1709 edita, dubitationem excitant magna saepe audacia, nam Christi Divinitatem Magi Dominum adorantes perspectant habuerint. Verum Honoratus a S. Maria, tom. 2 de Regulis Crit., lib. 3, diss. 4, art. 5, firmissime probat Magos non civili, sed vero latriae cultu perspectam sibi et cognitam Iesu Christi Divinitatem adorasse; id communiter ad eum D. Matthaei locum Patres Theologosque sentire; severioris etiam criticae adhibitae regulis, non aliter ea verba explicanda, nec secus posse intelligi; nec Theologica Censura illum expertem fore, qui hunc sensum in dubium revocare audeat.

XXXI. Et sane Magi ubi Puerum Iesum viderunt, humi strati munera ea quae pretiosa illi obtulerunt, Orientalium morem sequuti, qui non sine muneribus Reges adire solent, quemadmodum filii Iacob Iosephum fratrem et Regina Saba Salomonem allatis secum muneribus convenerunt, ut est in Genes. cap. 43. et Regum lib. 3. cap. 10. Haec autem si non satis significant, Magos Divinitatem Christi cognitam habuisse; genus ipsum et ratio numerum profecto id aperte declarat: *Attende quid obtulerint, et cognosce quid crederent*, inquit S. Fulgentius, serm. de Epiphania 4, n. 9. Et Calmetus, Irenaei, Origenis, Basilii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Hilarii, Bernardi, Iuvenci et Sedulii doctrinam sequutus haec habet in cap. 2 Matthaei: *Omnes fere Patres in his muneribus agnoverunt Mysterium quod Iesu Christi Divinitatem, Regnum, et Humanitatem indigiabat. Thus Deo convolvit, Regi aurum; Homini mortali, cuius corpus opobalsamis conditur, myrrha.* Communem hunc omnium Patrum consensum vel ipse Rhodens sequutus in citata Dissert. § 8: *Quod vero, inquit, praecise has tres species, nempe aurum, et thus, et myrrham dederint (Magi), et non alius, id plus in recessu habere videtur, nempe ut auro eundem Regem, thure Deum, myrrha hominum esse indicarent, uti Ecclesiae Doctores docent unanimi consensu, illum quidem quia aurum subditi Regibus pendunt, istum quia Deo thus adolemus, hunc quia degustaturus erat mortem. Nam Iudaei cum myrrha mortuos sepeliunt, ut corpus maneat incorruptum.*

FERIA TERTIA

Homilia S. Ioannis Chrysostomi.

IN IOANN. HOM. 22 ET 23.

778 **E**st quidam in concionando labor, quod Paulus his verbis testatur: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo et doctrina* (I Tim. v. 17). At penes vos est hunc laborem vel levem vel gravem reddere. Nam si dicta respuatis, vel non respicientes, operibus non exhibueritis, gravis nobis labor erit, quod frustra laboremus; sin attendatis, et audita exsequamini, sudoris huius ne sensum quidem percipiemus: fructus enim labore partus non sinet laborem gravem videri. Itaque si vultis studium nostrum excitare, non ex-

stinguere vel minuere, fructum, quaeso, exhibete nobis, ut lactas segetes videntes, spe rei bene gerendae fulsi et divitias nostras computantes, ne torpeamus in hac tam fausta negotiatione. Neque enim parva nobis hodie proponitur quaestio. Matre namque Iesu dicente: *Vinum non habent*; cum respondisset Christus: *Quid mihi et tibi est mulier? Nondum venit hora mea*; cum id, inquam, respondisset, quod volebat mater effecit. Haec non minor priore quaestio est. Illo igitur invocato qui hoc miraculum operatus est, sic ad solutionem properemus. Non hic solum autem hoc dictum occurrit; ipse namque evangelista in sequentibus dicit: Non poterunt eum apprehendere, *Quia nondum venerat hora eius* (IOANN. VIII, 20); et iterum: *Nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius* (Ibid. vii, 30); ac rursum: *Venit hora: glorifica Filium tuum* (Ibidem xvii, 1). Haec omnia per totum Evangelium dicta hic collegi, ut unam omnibus solutionem afferam. Quenam est illa solutio? Non temporum necessitati subiectus erat Christus, neque horas observans dicebat: *Nondum venit hora mea*: (an id observaret temporum Opifex, annorum et saeculorum Creator?) verum per haec dicta hoc vult significare, se omnia congruente tempore operari, nec simul facere ne hinc rerum ordo turbaretur, si non opportuno tempore singula eideret, sed omnia simul misceret, generationem, resurrectionem, iudicium. Hic animum adhibe: oportuit creaturam facere, sed non omnem simul; hominem et mulierem, sed non una ambros. Oportuit morte damnari humanum genus, et resurrectionem fieri; sed multum inter utrumque intervallum erat. Oportuit dari legem, sed non simul gratiam: verum singula suis temporibus dispensanda. Non suberat ergo Christus

temporum necessitati, ut qui temporibus suum ordinem assignavisset, eorum nempe Creator. Sed Ioannes hic Christum dicentem inducit, *Nondum venit hora mea*, ostendens ipsum nondum notum fuisse multis, neque totum discipulorum chorum habuisse: sed Andreas cum sequebatur cum Philippo, nullusque alius: imo vero neque hi omnes ipsum uti par erat cognoscebant, neque mater ipsa, neque fratres. Nam post multa edita miracula de fratribus dicit Evangelista: *Neque fratres eius credebant in eum* (IOANN. VII, 5). Sed neque illi qui nuptiis aderant, ipsum noverant: alioquin enim accessissent, et in necessitate rogassent illum. Ideo ait: *Nondum venit hora mea*. Nondum notus sum praesentibus, sed neque sciunt illi vinum deficere. Sine, donec id sentiant. Neque enim haec me a te audire oportuit. Mater quippe es, et miraculum reddis suspectum. Oportebat illos indigentes accedere et precari; non quod ea re opus habeam, sed ut ipsi cum magno consensu miraculum gestum acciperent. Nam qui se in necessitate constitutum novit, cum petita consequitur, magnam habet gratiam; qui vero necessitatem nondum advertit, neque beneficii clare sensum recipit. Et cur, inquires, postquam dixerat, *Nondum venit hora mea*, et recusaverat, id quod mater dixerat effecit? Ut contradicentibus, et putantibus ipsum horae subiectum esse, demonstraretur ipsum non esse horae et temporis subditum. Nam si subditus horae fuisset, quomodo congruente nondum adveniente hora id opus peregrisset? Ad haec in matris honorem id fecit, ne omnino ipsi repugnare videretur, ne ex imbecillitate id facere videretur, ne tanto adstante coetu matrem pudore afficeret: nam ministros ipsi obtulerat. Siquidem postquam Chananaeae dixerat: *Non est*

bonum sumere panem filiorum, et dare canibus (MATTH. XV, 26), dedit tamen postea, eius assiduitate permotus. Atqui etiam dixerat: *Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel* (Ibid. 24); postquam tamen haec dixerat, filiam eius liberavit.

779

His discimus, nos etsi indignos, assiduitate tamen nos saepe dignos reddere qui accipiamus. Ideo mater et exspectavit, et sapienter ministros admovit, ut a pluribus rogaretur. Ideo addidit: *Quodcumque dixerit vobis facite*. Noverat enim ipsum non ex imbecillitate tenuisse, sed quod fastum fugeret, nolletque se ad miraculum patrandum statim proficere; ideoque ministros adduxit. *Erant autem ibi lapideae hydrae sex positae secundum purificationem Iudaeorum, capientes singulae metretas binas vel ternas. Dixit eis Iesus: Implete hydras aqua. Et impleverunt eas usque ad summum*. Non sine causa dixit, *Secundum purificationem Iudaeorum*; sed ne quis fortassis infidelium suspicari posset facie intus remanente, infusa deinde et admixta aqua vinum tenuissimum evasisse; ideo ait, *Secundum purificationem Iudaeorum*, ostendens in vasis illis numquam servatum fuisse vinum. Nam cum Palaestina aquae penuria laboret, rarique sint ibi fontes et aquarum scaturigines semper hydras aqua implebat, ne si quando immundi fierent, ad flumina currere cogentur, sed ad manum sese purgandi modum haberent. Cur autem signum non edidit antequam illae implerentur, quod longe mirabilius fuisset? Aliud enim est subiectam materiam in aliam qualitatem mutare, aliud ipsam substantiam antea non existentem creare; hoc enim longe mirabilius est. Sed res non ita creditur, qui sobrius visa fuisset. Ideoque miraculorum magnitudinem saepe libenter mi-

nuit, ut facilius illa credantur. Et cur, inquires, non ipse aquam produxit, ut tunc in vinum converteret, sed id ministros facere iussit? Eadem rursus de causa, et ut ipsos, qui hauserant, rei testes haberet, nec id praestigias esse putaretur. Nam si qui ausi essent id impudenter negare, poterant ministri dicere: Nos aquam hausimus. Ad haec vero dogmata contra Ecclesiam suborta evertit. Quia enim quidam alium esse mundi creatorem dicunt, operaque visibilia non eius esse, sed alterius dei ipsi contrarii; ut eorum insaniam reprimat, ita multa miracula edit ex subiectis substantiis. Nam si creator ipsi contrarius esset, non alienis uteretur ad potentiam suam demonstrandam. Nunc igitur ostendens, se eundem ipsum esse, qui aquam in vineis mutat, et pluviam per radicem in vinum convertit, id quod in ipsa planta longiori tempore facit, id repente in nuptiis operatus est. Postquam autem impleverunt hydras, ait: *Haurite nunc et ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et nesciebat unde esset; ministri autem sciebant, qui auferant aquam; vocat sponsum architriclinus, et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu servasti bonum vinum usque adhuc*. Hic rursus quidam cavillantur dicentes, ebriosorum coetum fuisse, hebetem gustantium sensum, qui rem non possent capere, nec iudicium ferre, ita ut nescirent an vinum an aqua id esset: nam quod ebrii essent, ipse architriclinus declaravit. Reticulum plane illud est; verum hanc illorum suspensionem iam sustulit Evangelista. Non enim convivas ait de re illa sententiam tulisse, sed architriclinum, qui sobrius adhuc nihil gustaverat. Scitis quippe omnes, quibus conviviorum

cura committitur esse omnium maxime sobrios, unam hanc curam habentes, ut cum recto ordine omnia disponantur. Ideoque sensum illum vigilem et sobrium ad rei gestae testimonium evocavit. Non enim dixit, Infundite convivis vinum, sed, *Ferte architriclino. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et nesciebat unde esset; ministri autem sciebant: vocat sponsum architriclinus*. Cur non ministros alloquitur? sic enim miraculum revelatum esset. Quia ne ipse quidem Iesus quod factum fuerat revelavit, sed sensim paulatimque volebat vim miraculorum in notitiam venire. Si vero tunc declaratum fuisset, non fides habenda erat ministris narrantibus; sed insanire putati fuissent, cum homini, qui opinione multorum e vulgo erat, talia adscriberent. Ipsi quidem experientia rem clare noverant; neque poterant suis manibus fidem negare; non tamen idonei erant ut aliis fidem facerent. Ideo non omnibus revelavit; sed ei qui maxime posset id perspicere, clariorem rei notitiam in posterum reservans. Nam post alia conspicua signa, hoc etiam credibile futurum erat. Quando enim filium reguli postea curavit, per ea quae tunc dicit evangelista indicat hoc etiam manifestius fuisse. Ideo enim maxime regulus ipsum vocavit quia signi istius gnarus erat, ut dixi. Quod declarans Iohannes dicebat: *Venit Iesus in Cana Galilaeae, ubi fecit aquam vinum*: neque modo vinum, sed vinum optimum.

780

Talia sunt Christi miracula, quae res naturales praestantia longe superent. Sic et in alijs quoque quando membrum distortum restituit, sanioribus validius efficit. Quod ergo vinum et vinum optimum illud esset, non modo ministri, sed et architriclinus et sponus testificaturi erant; quod autem a Christo factum

esset, qui aquam hauserant. Ita ut etsi tunc miraculum non revelatum fuisset, non ad finem usque sileri posset; sic multa necessariaque praemitterebantur in futurum tempus testimonia. Quod enim aquam vinum fecisset, ministros testes habuit: quod bonum vinum esset, architriclinum et sponsum. Verisimile autem est sponsum aliquid ad haec respondisse: verum Evangelista ad magis necessaria properans, hoc tantum recensito signo, cetera praetermisit. Necessarium quippe erat ut sciretur ipsum aquam in vinum mutavisse; quid vero architriclino sponus responderit, referre necessarium non putavit. Multa quippe signa primum obscuriora, progressu temporis clariora facta sunt, iis accurate narrantibus qui a principio viderant. Tunc igitur vinum ex aqua fecit Iesus; tunc et nunc voluntates molles et dissolutas in melius mutare non desinit. Sunt enim, sunt, inquam, homines, qui nihil ab aqua differunt; ita sunt frigidi, molles et nunquam consistentes. Illos autem qui sic affecti sunt ad Dominum adducamus, ut illorum voluntatem in vini conditionem mutet, ut non ultra diffuant, sed solidiores sint, ac cum sibi tum aliis laetitiae causa evadant.

781

Quinam vero sunt illi frigidi, nisi illi qui fluxus huius vitae rebus inhaerent, qui mundi delicias non derident, qui gloriam et potentiam amant? Haec quippe omnia fluxa, nunquam consistunt, quae in praecipit semper et cum impetu feruntur. Nam qui hodie dives, cras pauper est: qui hodie cum praecone, balteo, curru multisque lictoribus se effert, saepe sequenti die carceri mancipatur, aliique invitatus hunc fastum relinquit. Qui delicatis cibis deditus est, postquam ventrem crapula dirupit, ne uno quidem die potest in eadem abundantia permanere; sed illa in vaporem

versa, cogitur alia congerere, nihique differt a torrente. Nam quemadmodum ibi priore recedente fluctu, alii rursus instant, sic et nos alio post alium cibo indigemus. Huiusmodi est rerum huius saeculi natura; numquam stant, sed semper fluunt et trahuntur. Deliciae vero ciborum non modo fluunt et praetercurrunt, sed multa nobis alia negotia ingerunt. Dum enim cum impetu diffluunt, tum robur corporis, tum animae virtutem abstrahunt: neque ita violenti fluminum fluctus ripas excedere solent, ut ciborum deliciae valetudinis fundamentum secum subtrahunt. Si medicum adeas et perconteris, omnem morborum causam hinc prodire discas. Nam tenuis et vilis mensa, valetudinis mater est. Ideo medici sic illam vocarunt. Non satiari id valetudinem vocant: cibi enim paritas, sanitas; frugalitas mensa, mater valetudinis, inquit. Quod si frugalitas mater est valetudinis, plane satietas mater est morbi et infirmitatis; paritque aegritudines ipsam medicorum artem superantes; pedum, capitis, oculorum, manuum morbos, tremores, paralysin, icteron, febres diurnas et ardentis, aliaque longe plura, quae recensere non vacat: haec non ex indigentia, nec ex philosophico victu, sed ex satietate et crapula generantur. Quod si velis hinc ortos animae morbos explorare, deprehendes inde nasci avaritiam, molliem, atram bilem, pigritiam, libidinem, omnemque ignorantiam. His gaudentes mensis animae non asinis meliores evadunt, quae a talibus feris discernantur. Nec tacebo et fastidia quibus obnoxii sunt ii qui se huic addixere morbo, quae omnia recensere non possumus: unum quod est caput omnium declarabo. Lauta mensa, de qua loquimur, numquam illi cum voluptate fruuntur. Frugalitas quippe ut valetudinis, ita et

voluptatis mater est; satietas vero, ut morborum, ita fastidii fons est et radix. Nam ubi satietas est, ibi concupiscentia esse nequit: ubi vero concupiscentia non est, quomodo voluptas esse possit? Ideo non modo prudentiores et valentiores divitibus pauperes videmus, sed maiori laetitia fruentes. Quae omnia cogitantes ebrietatem deliciasque fugiamus; non mensae tantum delicias, sed et alias omnes, quae in rebus saecularibus haberi possunt; earumque loco spirituales nanciscemur voluptatem, et delectabimur in Domino secundum prophetam, qui dicit: *Delectare in Domino, et det tibi petitiones cordis tui* (PSAL. XXXVI, 4); ut et praesentibus et futuris fruamur bonis, gratia et benignitate Domini nostri Iesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, simulque sancto Spiritui, in saecula saeculorum. Amen.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae. Vehementer instat diabolus, et salutem nostram undique insidiatur. Vigilandum itaque et undique ipsi aditus intercludendus est. Nam si vel parvam invenit occasionem, latum sibi postea apparabit ingressum, et vim suam totam paulatim inducet. Si itaque salutis nostrae aliquam rationem habeamus, ne in parvis quidem rebus ipsum accedere sinamus, ut per haec maioribus occurramus. Nam extremae insipientiae esset, si dum tantam ille diligentiam adhibet, ut animam perdat nostram, nos pro salute nostra non parem adhibeamus sollicitudinem. Haec a me non sine causa dicta sunt, sed quia timeo ne in media caula nunc ille lupus adstet occultus, ovemque rapiat, quae se vel ex segnitie vel dolo malo a grege auditorum semoverit. Nam vulnera si sub sensum cadrent, aut si corpus plagas acciperet, non opus esset insidias hasce tantum praecavere. Quia vero invisibilis anima est, ipsaque vul-

neribus confoditur, multa nobis opus est vigilantia, ut unusquisque sese exploret: *Nemo enim novit ea quae sunt hominis, ut spiritus hominis qui in ipso est* (I COR. II, 11). Oratio enim ad omnes pervadit et commune omnibus offert remedium: sed ad singulos auditores pertinet illa accipere, quae morbo suo depellendo sunt congruentia. Aegros non novi, nec bene valentes. Ideo de rebus omnibus loquor, ea quae animi morbis singulis competant: modo de avaritia, mox de mensae deliciis, hinc libidinem aggredior: postea vero eleemosynam laudo ad illamque erogandam hortor, hinc bonorum operum alia genera. Timeo enim ne dum uni morbo curando incumbo, alii remedium afferam, dum vos aliis aegritudinibus laboratis. Si unus tantum hic addeset, non necessarium ducerem multiplicem habere sermonem. Quia vero in tanta multitudine multos esse morbos verisimile est, non sine causa doctrinam variamus: sermo quippe in omnes effusus, suam certe utilitatem habebit. Ideoque Scriptura ipsa varia est, ac de sexcentis rebus edisserit, quia ad communem hominum naturam sermonem dirigit. In tanta vero multitudine necesse est omnes animi morbos reperiri, licet non omnes in cunctis adsint. His itaque nos expurgantes, divina verba quae hodie lecta sunt intentis admodum animis audiamus. Quenam illa sunt? *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae.* Dixi nuper quosdam non hoc initium esse putare. Quid enim, inquit, si dicatur id de Cana Galilaeae tantum? nam *Hoc initium*, inquit, *fecit in Cana.* Ego vero hac de re non curiosius edisseram; sed dico ipsum post baptismum signa edere coepisse; ante baptismum vero nullum fecisse, iam declaravimus. Sive autem hoc, sive aliud post baptismum primum signum fuerit,

disquirere non operae pretium esse existimo. *Et manifestavit gloriam suam.* Quo modo et qua ratione? Neque enim multi rei gestae attendebant, sed ministri tantum, architrachus et sponsus. Quomodo ergo manifestavit gloriam suam? Quantum in ipso erat. Quod si non tunc, certe postea omnes miraculum audituri erant: nam ad hoc usque tempus celebratur, nec latet. Quod autem illo die non omnes id voverint, ex sequentibus palam est. Postquam enim dixerat: *Manifestavit gloriam suam*, subdidit: *Et crediderunt in eum discipuli eius*, qui prius mirabantur. Videne tunc maxime necessarium fuisse ut miracula ederentur, cum probi homines, qui dictis attendebant, aderant? Hi enim et facilius credituri erant, et gesta accurate observaturi. Et quomodo notus fuisset sine miraculis? Certe satis erant doctrina, et prophetia cum miraculo coniuncta, ut ea in auditorum animos insinuarent, ut iam assueti, gestis saepe cum affectu attendentes. Ideo alibi saepe dicunt evangelistae, ipsum non edidisse signa, propter hominum illorum perversitatem.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.

(DE FESTIS DOM., LIB. I, CAP. 2, N. 22.)

XXII.

Ne quis vero dicat, Deo quidem convenire thus, regi aurum, homini myrrham, non inde tam necessario confici, qui talia obtulerit, cum perspectam Infantis habuisset divinitatem; atque ita cludere conetur, aut declinare vim auctoritatemque Patrum; Nos hic quaedam breviter afferemus ex Patribus qui divinitatem Christi Magis exploratam fuisse, discretissime docent. Prodat S. Ambros., lib. 1 de Fide, tom. 2, cap. 4, 31: *Unum Deum Magi crediderunt, et aurum, thus et myrrham supplices ad Christi cunabula detulerunt, aure Regem fatentes, ut Deum thure venerantes. Thesaurus enim Regis; Sacrificium Dei; Myrrha est Sepulturae.* S. Bernardus, serm. 2 de Epiph., num. 4, lucem, quae bono Latroni affulsit, confert cum ea quae Magis fluxit; et quemadmo-

dum nemo inficiabitur, illum Christi divinitatem cognovisse, ita quisque fateatur oportet, hos eiusdem divinitatis gnaros fuisse: *Videte quam oculata sit Fides, quam lynceos oculos habeat diligenti considerate. Cognoscit Dei Filium lactentem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem, cognoscit Latro in Patibulo, Magi in Stabulo cognoscunt; ille clavus infixum; isti panis involutum.* D. Ioannes Chrysostomus, Hom. 8 in Matthaeum, n. 1, tom. 7, animadvertit, Magos eo miseriae puerum redactum et in vili iacentem tugurio, nulla alia re ad adorandum impelli potuisse, quam quod illum honorum omnium auctorem fuisse crederint: *Ideo autem nihil eorum quae sub sensum cadunt, tibi magnum erat, sed praesepse, tugurium, Mater inops, ut vidam Magorum philosophiam perspicis, atque discas, eos non ut hominem parum, sed ut Deum et beneficum ipsum adissee.* Miratur S. Leo, serm. 33, in Epiphan. 4, cap. 3, tom. 1, qui Magi, simul ac conspicati sunt Stellam, conieciant ex ea, eiusmodi munera afferenda esse quae ad Christum Divinitatem, Regnum et Humanitatem indicandam essent aptissima: verum mirari desinit, cum animadvertit, ad externam stellae internam Fidei lucem accessisse, ut illud Magi crederent, quod par erat: *O perfectae scientiae, mirabilem Fidem, quam non terrena sapientia erudit, sed Spiritus sanctus instituit! Unde enim hi viri cum proficerebantur de patria, qui nondum viderant Iesum, nec aliquid contuisti eius, quo eum tam ordinate venerarentur, adverterant; hanc deferendum numerum servaverit notione? nisi quia praeter illam Stellae speciem, quae corporeum intuitu obtinuit, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit, ut praequam labores itineris incoharerent, eum sibi significari intelligerent, cui in auro regis honor, in thure divina veneratio, in myrrha mortalitatis confessio deberetur. Complures alias huc possemus auctoritates congerere; sed instar omnium nobis erit Ecclesiae auctoritas, quae in Epiphania Dominum precatur his verbis: Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum Genitibus stella duce revelasti; et Sedulii Hymno utitur, quo, ita de Magis canitur: Deum fateretur movere. Est autem observandum, verba illa: Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum Genitibus stella duce revelasti, reperiri etiam in S. Gregorii Sacramentario, tom. 3, pag. 7, in Missa huius diei, quae hanc quoque Orationem habet: Deus, illuminator omnium Genitum, da populis tuis perpetua pace gaudere, et illud lumen splendidum infunde cordibus nostris, quod trium Magorum mentibus adspirasti.*

FERIA QUARTA

Homilia S. Bonaventurae Episcopi. •

COMMENT. IN IOANN. CAP. 1.

Tertio die nuptiae, etc. Postquam descripta est discipulorum vocatio, describitur hic facta per Verbum et de Verbo incarnato manifestatio; unde Glossa dicit, quod post ostensiones factas per Ioannem ipse Dominus miraculo se ostendit. — Hanc igitur manifestationem describit Evangelista hoc ordine. Primo innuitur miraculi faciendi occasio; secundo vero, miraculi impetratio; tertio, mirabilis aquae in vinum conversio; quarto, miraculi approbatio; quinto, Christi manifestatio et discipulorum aedificatio, quibus Dominus per hoc miraculum se ipsum manifestare dignatus est.

Primo igitur innuitur *miraculi faciendi occasio*, quae fuit, quod in nuptiis Dominus erat praesens cum discipulis. Propter quod dicit: *Et die tertio*, scilicet post discipulorum vocationem, *nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae*; tangitur locus. *Et erat Mater Iesu ibi*; non dicitur, quod fuerit vocata, quia ratione affinitatis ivit tamquam officiosa, sicut etiam abiit in montana ad Elisabeth ad serviendum ei, ut dicitur Lucae primo. Ratione huius vocatus fuit etiam Dominus. Propterea dicit:

Vocatus est autem et Iesus et discipuli eius ad nuptias. Chrysostomus: "Vocatus est ad nuptias, non ut aliquis magnus, sed ut consanguineus, et ipse ut humilis invitationem non respuit, sed ivit," iuxta quod docet Lucae decimo quarto: "Cum vocatus fueris ad nuptias, vade, recumbe in novissimo loco."

Et deficiente vino. Tangitur hic secundum, scilicet *miraculi impetratio*, quae facta est a Matre miserante sponsi in-

piam. Propterea dicit: *Et deficiente vino, dicit Mater Iesu ad eum: Vinum non habent*; quasi dicat: Tua abundantia supple eorum inopiam; sciebat enim, quod esset "dives in misericordia," et potentia, quamvis apparet egenus; secundae ad Corinthios octavo: "Cum esset dives in omnibus, factus est pro nobis egenus." Sed Dominus, innuens Matri, quod non poterat hoc ipsa praecipere secundum quod mater, nec ipse facere secundum quod eius filius, nec debebat facere, nisi cum adesset tempus proprium; hinc sequitur:

Et dicit ei Iesus: Quid mihi et tibi est, mulier? Glossa: "Id est, quae natura est mihi et tibi communis, secundum quam hoc faciam?" *Mulierem* vocat, non a fragilitate, sed a natura et sexu. Haec enim est illa mulier, de qua Proverbiorum ultimo: "Mulierem fortem quis inveniet?" Quasi dicat: Hoc petere potens es ut sancta mulier, non praecipere ut mater, nec adhuc oportet facere. *Nondum venit hora mea*, id est meae clarificationis et passionis, de qua infra decimo septimo: "Pater, venit hora, clarifica Filium tuum." Sed Mater sciens, hanc responsum non esse ex indignatione, sed ex humilitate et instructione, fiducialiter praecipit; unde sequitur:

Dicit Mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite. Sciebat enim, quod posset; sciebat etiam, quod sciret; sciebat, quod vellet, quia semper ei obediebat; unde Lucae secundo: "Descendit cum eis et venit Nazareth et erat subditus illis." Iesus scilicet parentibus; et ex hoc certa erat, quod faceret. Ideo dicit: *Quodcumque dixerit vobis, facite*, tamquam boni ministri, ut miraculum consequamini, sicut et Naaman, quarti Regum quinto: "Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta,

facere debuisses." *Facite, quodcumque dixerit vobis*; non diffidatis; infra undecimo: "Si credideris, videbis gloriam Dei."

Erant autem hydrae sex, etc. Tangitur hic tertium, scilicet *miraculi operatio*. Et quia Deus omnia facit in certo "pondere, numero et mensura"; dicit mensuram, in qua hoc miraculum factum est. Propter quod dicit: *Erant autem ibi hydrae lapideae sex.* Hydrae sunt vasa aquae receptibilia; Genesis vigesimo quarto: "Da mihi pauxillum aquae de hydra tua." Hae hydrae *positae secundum purificationem Iudaeorum*, id est secundum morem Iudaeorum ad se purificandum. De hoc more, Marci septimo: "Et a foro redeuntes, nisi baptizentur, non comedunt; et alia multa sunt, quae tradita sunt illis servare, baptismata calicum et ureorum." *Capientes singulae metretas binas vel ternas.* *Metreta* dicitur a *metron*, quod est mensura, et vocatur hic mensura communis et usitata, sicut Parisius sextarium vini dicimus. Secundum has igitur mensuras factum est miraculum ad Domini imperium; propter quod subdit:

Dicit eis Iesus: Implete hydras aqua. *Et impleverunt eas usque ad summum.* Et intelligendum, quod cum impletae fuerunt, Domini virtute in vinum conversa est aqua; ideo *impleri* praecipit, ut plenum opus faceret, secundum quod in conditione rerum, Genesis primo, "vidit Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona"; et Deuteronomii trigesimo secundo: "Dei perfecta sunt opera."

Et dixit eis Iesus. Tangitur hic quartum, scilicet *miraculi approbatio*, in approbatione vini facta testimonio architriclini, cuius erat de vino probare. Propter quod dicit: *Et dixit eis Iesus: scilicet ministris: Haurite nunc et ferte*